



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Patrum Societatis Jesu**

**Couplet, Philippe**

**1686**

XLVII. P. Ludovicus Buglius

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

Prov. *Che kiam*, dein in Prov. *Nan kim* civitate  
*Su cheu* & *Cham xo*. Hic veteri exustâ Ecclesiâ  
 novam extruxit, præter alias in pagis vicinis. *Cam*  
*hi* verò Imp. anno 1. (1662.) æt. 70. obiit cum opi-  
 nione sanctitatis in civitate *Cham xo* quæ subest  
 urbi *Su cheu*. Sepultus est in monte *Yu xan* dicto.  
 Ab eo edita.

*De Dei attributis, & Fidei mysteriis considerationes &*  
*exempla*, 6. vol.

XLVII. P. LUDOVICUS BUGLIUS  
 Sículus eodem anno 1637. venit in Provinciam  
*Nam kim*: primus intulit fidem anno 1640. in  
 Prov. *Su chuen*, in cujus Metropoli *Chim fu* sedem  
 habuit & Ecclesiam. Deinde imperante familiâ  
*Tai cim* Tartaro-Sinica in Aulam venit, ubi ab  
 Imp. *Xum chi* multis favoribus donatus est ac per-  
 missus novam in occidentali urbis parte Eccle-  
 siam formâ Europæâ à fundamentis construere:  
 tandem sequentis Imp. *Cam hi* anno 21. (1682.)  
 diem obiit. Imperator illum dignatus est funebri  
 elogio: obtulit insuper 200. aureos, & 10. volu-  
 mina panni sericia in exequias. Dum viveret,  
 iussit Imperator effigiem ejus depingi. Sepultus  
 extra portam *Fen chim* dictam. Ab eo edita.

*Missale Romanum.*

*Rituale Romanum.*

*Pars*

- Pars Breviarii Romani.*  
*Officium parvum B. Virginis.*  
*Commendatio animæ & Officium sepulturæ.*  
*Index D. Thomæ Aquin. in totam Theologiam, 4. vol.*  
*Ejusdem D. Thom. Summa Theologica, 30. vol. nempe*  
*De deo, & attributis divinis, 6. vol.*  
*De Creatione & statu primi hominis, 4. vol.*  
*De SS. Trinitate, 3. vol.*  
*De Incarnatione, 6. vol.*  
*De Angelis, 5. vol.*  
*De anima, 6. vol.*  
*De rerum principio.*  
*De Materialium creatione.*  
*S. Legis compendium.*  
*Apologia contra adversarios S. Legis.*  
*Casuum summa ex Toletæ & aliis.*  
*Christiana Fidei alterum compendium.*  
*Vera Religionis criteria.*  
*Parvus liber precum.*  
*De Moribus & statu Europæorum libellus oblatu*  
*Imperatori.*

*Vita, mors & exequia P. Gabrielis de Magalhães.*

*De Leone libellus ex occasione leonis à Lusitano legato Imperatori oblatus.*

*De Falcone liber item oblatus Imperatori.*

XLVIII. P. FRANCISCUS BRANCATUS Siculus eodem anno 1637. prædicavit fidem in Prov. *Nan kim* urbibus *Su cheu. Su kiam & Xam hay*: ubi Domini Jacobi, filii unici Colai Pauli & nepotum ejusdem auctoritate ac exemplo, nec non Prætorum favore supra 90. templa & 45. Oratoria in variis circum oppidis & pagis modo numerantur, & maxima Christianorum multitudo. Vigent hîc & alibi in singulis Ecclesiis & Oratoriis sodalitia Passionis Dominicæ, ubi ferventiores Neophyti sextis feriis coram imagine Crucifixi Jesu sese flagris cruentant: Sodalitia item SS. Angelorum pro instruendis puerulis; ad quod munus 60. Catechistarum sodalitium sub S. Xaverii auspiciis institutum: ut nihil dicamus de sodalitia sub S. Ignatii nomine & patrocinio, quod primo quoque mensis die frequentant Neophyti litterati. Anno demùm 4. *Cam hi* Imp. cum reliquis ex aula relegatus est in *Quam tum*, ubi anno ejusdem Imp. 10. (1671.) obiit in Metropoli *Quam cheu*; deinde translato in Prov. *Nan kim* ejusdem feretro, sepultus est in *Xam hay* extra portam Australem. Ab eo edita.